Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2963

Quelle:
Copyright:

Johanni Chryſ. eripiendam, maxime illud, quod in ea *Johannes* ipſemet nominetur.

DCCCXXIV.

74 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 28. f. charactere luculento ab inſigni Calligrapho exaratus, pluribusque picturis linearibus cum frontium, tum marginis decorus continet *Praeparationem ad Miſſam Pontificalem, Ordinem Miſſae et Receſſum ab Altari*, in uſum quondam *Franciſci* Principis *a Dietrichſtein* Card. Epiſcopi Olomucenſis, Viri Caeſaribus acceptiſſimi ac de utraque Rep. meritiſſimi, cujus *Inſignia* non modo paſſim per ipſum Codicem, ſed in ipſa theca exterius viſuntur his verbis adjectis: *Franciſcus Cardinalis a Dietrichſtain Epiſcopus Olomucenſis Princeps &c.* M. DC. VII. Preces in Canone ſic conceptae ſunt: *Et pro Papa noſtro N. et Imperatore noſtro N. et me indigno ſeruo tuo.*

DCCCXXV.

418 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 275. 4. non una manu, ſed per totum eleganter ſcriptus, rubricisque ornatus *Liturgica* complectitur ſaltem priore ſui parte, olim ad *ſanctum Germanum ſpiren.* tunc Coenobium O. S. B. a *Dagoberto* I. fundatum, pertinentia, quae ſe hoc ordine excipiunt: I. praemiſſis *fol.* 1. et 2. Orationibus *ad Veſperum, Matutinalibus, de S. Cruce*, et Affectu Dolentis de Peccatis, qui totus e biblicis ſententiis praeclare contextus eſt, *Incipit Gradale*, id eſt *Introitus, Gradualia, Offertoria* et *Communiones* per totum annum ſive in Dominicis, et Feriis, ſive in Feſtis SS. tam propriis, quam communibus in Miſſa cantari ſolitae, notis *Muſicis* Textui ſuperimpoſitis. Initium: *Dominica. IIII. Ante. N. D.* ſcilicet I. Adventus. *Ad Te Leuaui Animam Meam* &c. Natalis *Johannis Evang.* duas Miſſas habet, quarum una *Prior*, altera *Publica* inſcribitur. *Prior* illa *Vigiliam* ſubplet, quae ob *Stephani* Feſtum pridie celebrari nequit. Praeter Miſſarum habentur et aliarum Ceremoniarum Cantus, ut: *Ad proceſſionem in Purificatione S. Mariæ, in Die Palmarum*, ubi, *Gloria laus et honor* &c. praenotatur: *Uerſus Fortunati* (Venant.) *Epiſcopi;* idem Titulus imponitur Fer. VI. in Paraſceve Hymno: *Crux fidelis inter omnes* &c. et Dom. Paſchatis Elegiae: *Salve Feſta dies* &c. Finem faciunt: *Antiphonæ in Letania Maiore* et Miſſae *Ad Pluviam poſtulandam* et *Pro Siccitate Terræ.* De aliis Neceſſitatibus publicis nihil.

II. *fol.* 47. charactere grandiore absque titulo *Liber Sequentiarum*, qui incipit: *In Natali Domini. De Nocte. in Primo Gallicinio.* E collatione inſtituta cum Edito T. I. *Theſ. Anecd. Cl. Pezii col.* 18. obſervo in ejus *Cod.* defuiſſe Seq. noſtram primam: *Nato canunt omnia Domino pie*

agmina